

Zu Königlichem
Leinwand " Bibliothek
gehörig.

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Disputatio
DE
INCARNATIONE
ÆTERNI DEI FILII,
PHOTINIANIS
opposita,

Quam
DUCE Θεανθρώπων,

In inclyta Academia Rostochiensi,

SUB PRÆSIDIO

VALENTINI LEGDÆI,

S. S. Theol. D. & Prof. publ.

Publicè defendendam suscipiet

JOHANNES IVARUS

Diethmarsus,

Ad diem Januarij,

In Auditorio Magno, horis
matutinis.



ROSTOCHI

Typis suis exscripsit Joachimus Pedanus, Acad. Typ.

ANNO M. DC. XXV.



Σὺν τῷ Θεῷ

THESIS I.



Um juxta D. Apostolum Paulum nostri officij sit, non tantum vera docere, sed & ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. 1. v. 9. operæ precium nos facturos existimamus, si modernis Photinianis, nobis in articulo de *Incarnatione aeterni Dei filij* (de quo hisce diebus egit Ecclesia nostra) aliàs *citra omnem, inter pios, controversiam magno pietatis mysterio* 1. Tim. 2. v. 16, contradicentibus nos opponamus. Hi enim *dogma hoc in Christiana religione omnium monstruosissimum, absurdum, indignum, quod in Christi ecclesia locum habeat, imò tale, quod ad fundamentum salutis, quod est Jesus Christus, evertendum optissimum sit, appellare non erubescunt. Filium Dei ante incarnationem fuisse, fabulam ingentem* (horresco regerens has blasphemias) dicunt, uti videre est apud *Smaic. in Refut. thes. Graueri de Incarnat. filij Dei pag. 3. 4. 16.*

2. Certè frustra de unione personali duarum naturarum in Christo, de communicatione idiomatum, de satisfactione Christi pro peccatis nostris &c. docetur & disputatur in ecclesijs & scholis nostris, nisi prius constiterit, filium Dei incarnatum esse: at frustra etiam de hoc, nisi prius aeternum Dei filium esse, ex sacra scriptura firmiter demonstratur. Utrumq; igitur hac vice, σὺν Θεῷ ex 1. capite Evangelistæ Johannis probatum dabimus.

A 2

3. Pri-

3. Primum verò ita argumentatur: Qui jam erat in principio, cum nimirum tempus cum re, & res cum tempore cœperunt existere, apud Deum patrem, imò Deus ipse, ille non tunc demum esse cœpit, quando in temporis plenitudine homo fieret ex muliere, sed ut ab aeterno etiam extiterit, & unâ cum Patre naturâ & aeternus Deus sit, necessum est. Filius Dei jam erat in principio, cum nimirum tempus cum re, & res cum tempore cœperunt existere apud Deum patrem, imò Deus ipse. E. Filius Dei non tunc demum esse cœpit, quando in temporis plenitudine homo fieret ex muliere, sed ut ab aeterno etiam extiterit & unâ cum Patre naturâ & aeternus Deus sit, necessum est.

4. Major per se manifesta. Qui enim jam erat in principio ante omnes res creatas, apud Deum patrem, & Deus ipse, ille non potest non esse ab aeterno, & unâ cum Patre naturâ & aeternus Deus, quandoquidem ante omnes res creatas nil nisi aeternus Deus fuit. Minoris veritas patet ex Joh. c. 1. v. 1. 2. ἐν ἀρχῇ, inquit Evangelista, ἦν ὁ λόγος &c. per λόγον verò filium Dei intelligi, Photiniani non negant.

5. Sed excipiunt, voces, in principio, nequaquam per se significare, ante omnem rem creatam, sed initium aliquod, idq̄, pro subjēta materia varium ac diversum, ut omnia sacra testimonia, in quibus ista duo verba absolute, ut hīc posita, leguntur, manifestè docent. Loca adducunt hæc: Esa. 52. v. 4. & 60. v. 9. Dan. 8. v. 1. Joh. 15. v. 27. & 16. v. 4. Act. 11. v. 15. Cum igitur subjēta materia hīc sit evangelium, nulli dubium esse posse, ajunt, quin hoc loco, In principio, evangelij initium significet, ac si scriptum fuisset. In principio Evangelij. Vide Socinum in Refut. arg. Wieki & Bell. pag. 329. Catech. Racov. p. 60. Smalc. Homil. super Joh. pag. 6.

6. Re-

6. Respondeo: pugnant adversarij cum larvis
Argumentum enim nostrum non *fundatur* in istis duabus
vocibus, *in principio*, ac si *semper* notarent *principium tem-*
poris, & illorum, qui sunt in tempore, sed in *tota* hac phrasi
sive propositione: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος*: quæ si accommo-
datur ad *subjectam materiam*, quam principium Evangelij
esse existimant *Photiniani*, erit prorsus inepta & ridicula,
nempe, *ὁ λόγος jam erat*, quando ejus *præcursor* Johannes
prædicare incipiebat. Nam quis sanus dubitaret unquam,
regem aliquem *tum* existere, quando jam *ejus adventum*
prænuntiat *πρότερον*? Hinc Evangelista *Marcus* princi-
pium Evangelij c. i. v. 1. describens & incipiens à prædica-
tione *Johannis baptista*, non *simpliciter* dicit, principium
Evangelij, sed principium Evangelij Jesu Christi Filij Dei,
ut scriptum est in Prophetis, *Ecce ego mitto &c.* annon ergò
& sic, juxta mentem *Photinianorum*, resolvenda esset propo-
sicio *Johannis*: In *principio* Evangelij Jesu Christi, filij Dei,
cum Johannes Baptista ejus præcursor prædicare incipe-
ret, jam tum erat Jesus Christus filius Dei, nempe à Deo
huic muneri (ita enim verbum, *erat*, explicant *Photiniani*)
voluntatem suam patefaciendi, destinatus, & jam re ipsa
ad id singulariter electus. Elegans glossa sive interpretatio,
quam etiam, Smalcij judicio Homil. super Joh. p. 4. omnes
Christiani nominis professores non possunt non approbare,
& quid ni?

7. Sed objiciunt: *magnam fuisse Johannis in populo*
existimationem, ita, ut multi ei tribuerent illa, quæ propria
Christi erant: ideoq; disertè monere voluisse Johannem Evan-
gelistam, Johannem Baptistam, quamvis, videlicet tempore,
Jesu Christo priorem, non tamen fuisse lucem illam vitalem:
quin potius venisse, ut de luce illa testaretur, quæ, ni-

Et 3

mitum

miram *Jesus Christus erat.* Haftenus Socinus lib. e.
pag. 330.

8. Respondeo: verum est, quòd in populo *tanta*
fuerit Johannis Baptistæ *existimatio*, ut eum Messiam esse
crederent Luc. 3. v. 15. Sed *unde* illa oriebatur, an *ex eo*,
quòd prius doceret Evangelium, quàm Jesus Christus?
minimè; sed *ex sanèitate vitæ & officio baptizandi*; quem-
admodum ex Evangelista nostro constat c. 1. v. 25. Hinc
ergo incipiebant omnes cogitare in cordibus suis de Johan-
ne, numnam ipse esset Christus, ut est apud Lucam. Hanc
etiam ob causam Evangelista Johannes docet, eum non
fuisse *lucem illam* illuminantem omnem hominem venien-
tem in hunc mundum, *quamvis esset*, ipso Christo teste, *lu-
cerna ardens & lucens*, Johan. 5. v. 35. quatenus scilicet te-
stimonium perhibebat de luce illa salvifica, nempe Christo;
non verò propterea, quòd ipso esset prior: imò, quia Jo-
hannes Baptista Christo homine tempore prior existeret,
& evangelium ante ipsum doceret, non poterat esse Messias,
quandoquidem primus N. T. minister, juxta vaticinium
Esaia c. 40. v. 3. & Mal. 3. v. 1. Messiaë debebat esse *περότερον*.
Hisce itaq; testimonijs uti cōmodius potuisset Evangelista, si
ad *illud dubium* de prioritate temporis respondere voluisset,
quemadmodum ijs utitur Evangelista Marcus à prædicatio-
ne Joh. Baptistæ initium Evangelij describens.

9. Adde, quòd Jesum Christum hinc *λόγον* appellet,
hoc ipso nomine indicans, se loqui de eo, qui ipsum evan-
gelij erat subjectum, unde Paulus Rom. 1. v. 2. dicit evan-
gelium Dei esse de *filio suo*. Si igitur *hæc materia subjecta*
esset evangelium, sic quoq; resolvēda *propositio* Johannis: *In
principio evangelij jam erat is, de quo est, vel agit evangelium.*
Sed quis sanus potuisset de hac re dubitare?

10. Cum

10. Cùm igitur *materia subiecta* apud Johannem non sit evangelium, voces, *in principio*, temporis principium notabunt, ut aliàs Gen. 1. v. 1. Heb. 1. v. 10. imprimis cum *aliud principium* dari haud queat, de quo ageret Evangelista: atq; hic etiam *scriptura mos* sit, ut cum aliquid *aternum* esse significat, *in principio*, aut *ante caelum & terram* fuisse dicat. Quicquid enim *factum* est, aut *in illo principio* aut *postea factum est*: itaq; quod *in principio*, aut *ante principium absolutè* dicitur fuisse vel extitisse, *factum* esse non potest: quod autem *extitit & factum non est*, *aternum* est. Filius Dei *extitit & factus non est*: *in principio erat ó λόγος*, ait Evangelista. E. *aternus* est.

11. Constare hinc opinor, quomodo in *totaphrasi & propositione* vis nostri argumenti consistat, & non in *nudis illis* vocibus *in principio*, ut fingunt adversarij: & *demonstrato hoc*, quod Evangelista non agat de *principio evangelij*, *totum* corrumpit, quodcunq; super hoc commentum struxerunt Photiniani. Videamus tamen, quæ ulterius obijciunt contra nostrum supra allatum argumentum. *Apud Deum esse*, aiunt, *significat hęc, soli Deo cognitum esse*. Quomodo etiam dicitur *vita aterna fuisse apud Deum*, ideoq; non posse ex eo, quod ab initio hominibus ignotus fuit concludi, eum *planè non fuisse*. Hęc Smalcus lib. c. p. 3.

12. Respondeo: nititur glossa hęc *falso* præsupposito, nempe Johannem de *principio evangelij* agere, cum agat de *principio creationis*, ut ostendimus. Probatio ejusdem petit similiter principium. Nam 1. Joh. 1. vers. 2. per *vitam aternam* Christus intelligitur, ut alibi Joh. 14. v. 16. &c. quod patet ex contextu. Quemadmodum enim hęc in Evangelio *λόγος in principio temporis & apud Deum fuisse*: sic & ibi *vitam aternam* *ἀπὸ ἀρχῆς ἀπὸ principio temporis*,
apud

apud Patrem fuisse, dicit. Quomodo verò ἡ ζωὴ ἐφανερώθη, ut Johannes loquitur, explicat Paulus 1. Tim. 3. v. 16. quando inquit: Deus ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Et hic Evangelista v. 14. οὐκ ἐγένετο, de quo postea.

13. Verum excipiunt Photiniani. 1. Tim. 3. v. 16. per Deum intelligi Deum patrem, quem in carne manifestatum esse dicunt, quatenus per homines, qui fuerunt caro, h. e. mortales & varijs calamitatibus subiecti, suam bonitatem potentiam & sapientiam mundo patefecerit, primò quidem per Christum postea per Apostolos. Vide Ostor. in disp. germ. Trad. opposita p. 109. Catech. Racov. p. 112. & Smalcus in Refut. Thes. Graueri de Incarnat. filij Dei, per Deum intelligunt voluntatem Dei de salute hominum, quæ plenè sit manifestata per infirmos & mortales homines. Sed quàm futilis sit hæc interpretatio, alibi à nobis fuit demonstratum. nunc sufficiat breviter notasse, Apostolum Paulum de ejusmodi manifestatione Dei loqui, quæ in N. T. sit magnum mysterium & quidem ὁμολογητέως extra controversiam, omnium, nempe piorum, confessione magnum. At bonitatem & potentiam Dei, sive voluntatem Dei de salute hominum patefactam esse per infirmos & mortales homines in N. T. magnum mysterium esse non potest, siquidem Deus jam in V. T. bonitatem & potentiam suam, sive voluntatem de salute hominum per Prophetas patefecerat, qui non minus ac Apostoli homines infirmi & mortales, & sic caro, fuere. Ergo.

14. Neq; vox Deus in scriptura idem est, quod Dei voluntas, nec ullibi de Deo patre dicitur, quod in carne sit manifestatus, sed solus Christus dicitur in carne venisse. 1. Joh. 4. vers. 2. & 3: caro factus Johan. 1. vers. 14. missus in similitudinem carnis peccati Rom. 8. v. 3. &c. Solus itaque Christus absq; dubio apud Paulum per vocem, Deus, intelligitur,

15. Hinc

15. Hinc quoq; tale *inviētum* pro aeterna Deitate Christi contra Photinianos exurgit argumentum: *Qui in N. T. ita appellatur Deus, ut absolutè subjecti locum in enunciatione obtineat, is est verus & aeternus Deus*, ipso Socino teste in ref. arg. Wieki & Bel. p. 379. *Atqui Christus in N. T. (nempe hic apud Paulum, ita Deus appellatur, ut absolutè subjecti locum in enunciatione obtineat. E. Christus est verus & aeternus Deus,*

16. Ex Evangelista verò Johanne *secundò* ita argumentamur: *Qui ita Deus dicitur, ut fuerit in principio creationis, & ante omnes res creatas apud Deum Patrem, is ab aeterno & unà cum Deo Patre naturà & aeternus Deus sit, necessum est, quandoquidem ante principium temporis rerum q; creationem nil nisi aeternus Deus fuit. ó λόγος seu filius Dei, ita Deus dicitur Joh. 1. v. 2. ut fuerit in principio creationis, & ante omnes res creatas apud Deum Patrem. E. ab aeterno & unà cum Deo Patre naturà & aeternus Deus sit, necessum est.*

17. Verùm obijciunt *Photiniani*, vocem *θεός*, híc non habere *articulum*, quemadmodum habet in membro præcedenti, cum pro Deo Patre ponitur, unde concludunt, *τὸν λόγον* non esse unà cum Patre *naturà & aeternum* Deum, sed Deum ex *gratià* ob communicatam ipsi potestatem in cœlo & in terra Matth. 28. v. 18. Respondeo: objectio hæc nullius momenti. *ó λόγος* enim híc *nudè & absolutè* Deus dicitur, quomodo certè hæc vox *nulli* unquam creaturæ in scriptura tribuitur, sed *adjec̄ta exceptione* sive etiam *explicatione*, quâ indicetur, *quo modo & quo respectu* ita appellentur. Sic Exod. 7. v. 1: Moses Deus dicitur; at non *nudè & absolutè*, sed Deus Pharaonis, sive Pharaoni constitutus.

18. Deinde nec *omissio articuli* istius præpositivi aliquid facit pro adversarijs, cum & *Deus Pater* aliquando *sine articulo θεός* appelletur Rom. 1. v. 7. & hoc ipso. cap. v. 6. &

B

sexcen-

sexcentis alijs. Additio itaq; articuli illius præpositivi non
habet *illam vim distinguendi* verum illum Deum, qui solus
summus, naturâ & æternus Deus est, ab alio vero Deo, qui
non summus, sed subordinatus & ex gratiâ Deus est. alioquâ
nunquam posset omitti, ubi de summo illo Deo agitur.

19. Cur verò Evangelista hoc loco *articulum* non
addiderit, ratio reddi potest, nempe, quòd factum sit ob
distinctionem personarum Patris & filij, & quòd vox Θεός hic
prædicatum, cui usitatè articulus addi non solet. Nam & a-
liàs Christus Θεός cum articulo dicitur, ut Act. 20. v. 28. quem
locum de *Patre* quidem interpretantur *Photiniani*; at quàm
ineptè, alibi ostendimus. Nullibi in sacra scriptura Deo pa-
tri *proprio* sanguis assignatur, multò minus aibi dicitur,
quod Deus pater *proprio* sanguine redemerit ecclesiam.
monstrent adversarij, si poterunt unicum locum, & hunc
præsentem ita accipiendum esse concedemus. Contra verò,
quotiescunq; scriptura N. T. nos *sanguine* redemptos esse
docet, *toties* de Christo loquitur. Ebr. 9. v. 12. Apoc. 5. v. 9.
Ephes. 1. vers. 7. 1. Petr. 1. vers. 19. nec ullum contra-
rium locum adversarij ostendere poterunt. Sicut Joh. 5. v. 20.
ὁ Θεός ἐστὶν ὁ ἀληθινὸς Θεός, nimirum, qui in *proximè* præceden-
tibus ultimis verbis dicitur filius Dei Jesus Christus. Pro-
nomen enim Θεός tam diu nos juxta regulas grammaticas &
logicas ad id, quod *proximè* præcedit referimus, donec
Photiniani ad *remotius* referendum esse, firmiter demon-
strent: id quod nunquam fiet. Neq; enim subjecta mate-
ria id necessariò requirit, quemadmodum fit in alijs locis,
quæ adducere solent adversarij.

20. Præterea cum *scriptura & sana ratione* pugnat,
duos esse veros Deos, eosq; *divino cultu* afficiendos, quo-
rum *unus* naturâ Deus sit, *alter* tantùm ex gratiâ. Nam
verum

verus Deus unus est Deut. 4. v. 36. & 6. v. 4. 1. Cor. 8. v. 8.
 Gal. 1. v. 20. & præter hunc *nullus* alius *divino cultu* afficien-
 dus Deut. 6. vers. 13. 10. v. 20, Matth. 4. v. 10. Luc. 4. v. 8. is
 etiam, qui à nobis *religiosè* coli, & *in necessitatibus invocari*
 debet, *necessum* est, teste ipso etiam Socino in refut. argumēt.
 Wieki, ex Bell. p. 51. ut rerum humanarum *curam habeat*,
 & preces nostras *intelligat*. At *illius est curare, conservare*
 & *gubernare* omnia, à quo ea sunt condita Psalm 56. v. 9. 91.
 v. 11. 104. v. 27. 119. v. 89. 139. v. 2. Matth. 6. v. 25, 26. 10. v. 20.
 30. Luc. 21. v. 18. 1. Tim. 4. v. 10. & 6. v. 17. Is verò solus na-
 turà & æternus Deus est: qui etiam *solus* preces nostras *intel-*
ligit, cum *solus* sit scrutator cordium & renum Psal. 7. v. 10.
 Jer. 17. v. 10. *solus* sapiens Rom. 16. v. 17. 1. Tim. 1. v. 17. *solus*
 omniscius Psalm: 94. vers. 9. & 11. *solus* omnipotens 1. Ti-
 moth. 6. vers. 15.

21. Quòd autem etiam *Christo homini in tempore*
 data sit omniscientia, ut potuerit *videre cogitationes* homi-
 num Matth. 9. v. 4. & *scire* quid esset in homine Joh. 2. v. 25.
 & *omnis potestas in cælo & in terra* Matth. 28. vers. 18.
 non evincunt, eum tantùm ex gratià & non naturà ac æter-
 num Deum esse: siquidem hæc omnia ei dari *in tempore*
 non potuissent, nisi in *una* persona esset non tantùm homo,
 sed & cum patre suo naturà & æternus Deus. *Deus enim*
gloriam suam alteri non dat Esa. 42. v. 8. & 48. v. 11. Et cum
sana ratione pugnat, sive quod idem est, manifestam contra-
 dictionem implicat, id, quod *infinitum*, ut est potestas illa
 in cælo & in terra, & scientia, quâ explorantur corda & renes,
 posse esse in subjecto *finito*.

22. Et quid multis? λόγος hic ita Deus dicitur, ut in
 principio, nēpe creationis & ante omnes res creatas (nam de

evangelij principio, ut Photiniani volunt, Johannem non agere, supra ad oculum demonstravimus) fuerit apud Deum patrem suum. Non ergò in tempore demum Deus à Deo patre suo factus est.

23. Tertio ex Evangelista Johanne ita argumentamur: per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est, is non creatura, sed creator, h. e. ab æterno & naturâ Deus, per λόγον omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est Joh. 1. v. 3. Ergo ὁ λόγος non est creatura, sed creator, hoc est, ab æterno & naturâ Deus.

24. Excipiunt Photiniani Socinus in Ref. Wieki & Bell. p. 337. Smalc. Hom: supra Joh. p. 17. Catech. Rac. p. 87. non sequi τὸν λόγον creatorem esse, quia omnia per ipsum facta sint, aliud enim esse facere, aliud creare. Creandi verbum significare aliquid ex nihilo facere: sed faciendi verbum usurpari de ijs quæ fiunt ex aliqua materia. Ideoq; dicunt Arrianos facile nobis concessuros, τὸν λόγον non esse factum; negaturos verò eum nō esse creatum. Respondeo; Discrimen inter facere & creare, quando ad Deum utrumq; refertur, in sacris literis non observatur, sed tantum ex communi opinione Theologorum est, ipso adversario Socino teste l. c. *Arrianorum* igitur objectio nititur falso fundamento.

25. Deinde negant adversarij, ex eo, quòd scriptum est, omnia per ipsum esse facta, colligi posse, ipsum verbum non esse factum, & ita esse factorem, vel creatorem, etiamsi vox omnia, universè planè accipienda sit. Semper enim, ait Socinus & Smalcus l. c. in ejusmodi locutionibus, quantumvis universalibus, excipitur is, de quo ipsa universalis enunciatio effertur, ut cum paulò inferius hoc eodem cap. dicitur de Johanne Baptista: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, & omnes crederent per illum. Quis

Quis hic non videt, quantumvis dicatur, omnes per Johannem debuisse credere tamen non omnes omnino includi, nisi velimus dicere, Johannem in Christum non credidisse, vel si credidit, per se ipsum credidisse, quod longè absurdissimum. Hactenus illi.

26. Respondeo: particulam universalem non semper, sed interdum ita restringendam esse, nempe pro ratione subjectæ materia, fatetur ipse Socinus lib. c. p. 344. Hic verò illa restrictio non habet locum. Supra enim v. l. jam dixerat Johannes, λόγον non fuisse factum, sed sempiternum: in principio, inquit, jam erat verbum: atque adeo ab æterno & naturâ Deus. Confer thes. 10.

27. Deinde non simpliciter dicit, omnia per ipsum facta sunt, sed addit, & absq; eo factum est nihil, quod factum est. Quicquid ergo factum sive creatum, id per λόγον factum sive creatum est. Si igitur ó λόγος factus sive creatus est, eum per se ipsum creatum, esse sequitur, quod longè absurdissimum. Exemplum Johannis Baptistæ, quod is venerit in testimonium de Christo, ut omnes crederent per illum, aliter se habet. Particulam enim universalem ita restringendam esse, ut ipse Johannes excipiatur, patet ex fine officij ejus, qui non includebat ipsum, sed ad alios præter ipsum, erat directus: ideoq; etiam non additur, omnes credentes credidisse per ipsum in Christum, quâ ratione ipse quoq; Johannes includeretur.

28. Et sic vidimus quæ Photiniani in gratiam Arrianorum attulerint: expendamus etiam breviter ea, quæ propria sententia confirmanda adferunt. Dicunt vocem, omnia, non prorsus universè accipiendam esse, sed ad materiam subjectam esse restringendam, quæ evangelium, seu ipsum novum fœdus sit, quod Deus cum hominibus pepigit. Sensum

itaq; verborum Joh. esse omnia, quæ jam facta essent, cum ipse scriberet, ad evangelium & ad novum fœdus pertinentia, per verbum, id est, per Christum facta fuisse. Vid. Soc. l. c. p. 339. Resp: cum supra à nobis demonstratum fuerit, materiam subjektam hic apud Joh: non esse evangelium: corruunt etiam omnia, quæcunq; super hoc fundamentum superstruunt adversarij. Et vocem omnia, hic absolutè accipi, apparet ex reduplicatione, quod factum est, ut jam vidimus. Hac enim apertè indicatur, simpliciter omnia, quæcunq; facta sunt, (non quæ nuper facta sunt, ut interpretatur Socinus. unde enim illud suum, nuper, probabit?) intelligi, quorum nihil sine ipso factum est: tum ex v. 10. ubi Johannes inquit, quòd mundus per ipsum factus sit, nempe ille mundus, in quo ipse erat, & qui eum non cognovit, hoc est, homines, non quòd non aliqui ipsum cognoverint, sed quòd major pars non cognoverit. & ex majore parte mundus dicitur eum non cognovisse: Sicut statim subjicit, v. 12. sui eum non receperunt, & tamen aliqui eum receperunt: Quotquot enim receperunt ipsum, eis dedit potestatem filios Dei fieri. Atque hæc pro aternitate, sive aterna deitate τῆς λόγῃ seu Dei filij, hac vice, sufficient.

29. Hunc verò aeternum Dei filium, in tempore incarnatum fuisse scribit Johannes hoc ipso cap. vers. 14. ὁ λόγος, inquit, id est, Dei filius οὐρεξ ἐγένετο caro factus est, sive ut Paulus loquitur 1. Timoth. 3, vers. 16. in carne manifestatus est.

30. Excipiunt Photiniani, verbum ἐγένετο non minus per fuit, quàm factus est, reddi posse, ut sensus sit ὁ λόγος fuit caro. Sic enim vocabulum hoc accipi v. 6. ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένον παρὰ Θεοῦ fuit homo missus à Deo. Similiter Luc, 24. v. 19. ὃς ἐγένετο ἀνὴρ Περσῆτης, qui fuit, seu erat
pro

propheta. Et hic etiam verbum ἐγένετο ita verri debere, probant ex eo, quod nimis absurdum esset, Johannem, posteaquam multa enumerasset, quae Christo jam in mundo existente, facta sint (nempe; quod Johannes de illo sit testatus; quod ipse fuerit in mundo: quod mundus & proprii eum non cognoverint, quod ijs, qui eum cognoverant, & in nomen eius crediderant, dederit potestatem, ut filij Dei fierent) demum dicere, eum esse natum. at non absurdè post ista omnia dici, τὸν λόγον, cujus dignitatem & praestantiam antea descripserat Johannes, fuisse carnem, h. e. humilem & abjectum, vel hominem, varijs calamitatibus & ipsi deniq; morti subiectum. Hanc enim vocabuli *carnis* significationem esse in scriptura, probant ex Gen. c. 6. v. 3. Esa. 40. v. 6. 1. Petr. 1. vers. 24. Vide Soc. l. c. p. 328. Catech. Racov. pag. 108. 109. Smalc. in Refut. thes. Graueri de Incarnat, pag. 10, & 17. Hom: super Joh. pag. 87.

31. Respondeo: Non negamus verbum ἐγένετο quandoque verri posse per *fuit* & *extitit*, ita tamen, ut fieri praesupponat, aliàs usurpari solet, verbum substantivum ἐμὶ, quando de *simplici esse*, sive existentia sermo est. Unde etiam sequitur, eam significationem verbi γίνεσθαι propriam esse, quando per *fieri*, redditur: *metalepticam* verò, quando vertitur per *esse*, deinde tum verbum γίνεσθαι non esse, sed, *fieri*, significare deprehenditur, quando *nomen substantivum*, veluti hic, subsequitur, ut constat ex Joh. 2. v. 9. Rom. 7. v. 13. 1. Cor. 1. v. 30. Gal. 3. v. 13. Confer quae habet Dn. D. Paulus Tarnovius in Exam. scripti Sociniani contra Wick. & Bell, pag. 628.

32. Quod verò verborum ordinem apud Johannem attinet, nobis non adversatur. Quis enim ignorat figuram ὕστερον πρότερον in scriptura esse, usitatissimam? imò

imò ipsi Photiniani eam hinc concedere coguntur. Nam quòd per Christum omnia, (nempe *mirabilia ac divina opera ad novum fœdus pertinentia*, ut illi explicant) facta sint, & ipse, ut lux in tenebris luxerit, & tenebræ eum non comprehenderint, non prius accidere, quàm, postquàm Christus munus suum *exorsus* est, & inter homines *conversari & docere* cœpit, de quo tamen Johannes, juxta adversarios primum agit v. 9. 10. atq; etiam v. 14. Et sanè juxta nostram explicationem commodissimè de *incarnatione τὸ λόγος* agit v. 14. Nam *initio* de divina ejus natura egerat, quòd, nimirum, ut *verus Deus*, fuisset *in principio apud Deum Patrem suum*, & *omnia per ipsum* facta, & quòd *in ipso* vita, & vita illa lux hominum, & lux ista in tenebris luxerit: quâ occasione, admiscet quædam de Johanne Baptista, quòd scilicet ipse non sit *illa* lux, illuminans omnem hominem, quamvis, ipso Christo teste Johan. 5. v. 35. fuerit *lucerna* ardens & lucens; sed *testimonium* tantum de *luce illa* perhibuerit; similiter explicat, quomodo Christus, quamvis vita & lux hominum ad suos veniens, à suis tamen non sit receptus, qui verò ipsum receperunt, eis potestatem dederit filios Dei fieri, omnia in hunc finem, ut eo melius explicaretur id, quòd Christum lucem appellarat. Ergo, ut nunc de humana Christi natura ageret, causamq; adoptionis nostræ in filios Dei, ex *incarnationis mysterio* explicaret, convehens erat.

33. Vocem, *Carnis*, in scriptura *nonnunquam* significare rem humilem & abjectam, nec nos quoq; inficias imus: at quòd *hoc in loco*, illam significationem *immediatè* habeat, negamus: quandoquidem in scriptura sæpissimè & *proprie* ipsam substantiam significat, (Confer Matth. 24. vers. 22. Marc. 13. vers. 20. Luc. 3. vers. 6. Actor. 2. v. 13.)
infirm-

infirmi-
tatem & abjectionem *impropiè* & quadam *metony-*
mià: quam significationem *propriam* meritò *hic* quoq; re-
tinemus, & *tam diu* urgemus, donec Photiniani *im-*
propriam illam *hic tantum* locum habere posse pro-
bent.

34. Quid? ipse Johannes satis explicat, quòd voce
carnis, ipsam hominis substantiam intelligat. Non enim
simpliciter dicit, ὁ λόγος σαρκὶ ἐγένετο, sed *addit*, quòd *ita*
σαρκὶ ἐγένετο, ut habitaverit inter homines, & viderint glo-
riam ejus, non vulgarem; sed gloriam tanquam unigeniti
à Patre. Quicumq; verò *ita σαρκὶ ἐγένετο*, ut habitavit inter
homines, & viderint gloriam ejus, non *vulgarem*; sed tan-
quam *unigeniti* à Patre, is rectè dicitur non *fuisse caro*, id
est, *humilis & abjectus*; sed *factus caro*, id est, homo. Ho-
mo enim quatenus homo, & quidem non vulgaris; non
verò, quatenus humilis & abjectus est, dicitur habitare
inter homines, ita ut videant gloriam ejus, gloriam tan-
quam unigeniti à patre. non de simplici habitatione, sed
quæ cum gloria conjuncta est, agit Evangelista. Atqui ὁ
λόγος *ita σαρκὶ ἐγένετο*. E.

35. Deinde *interpretationem* nostram *veram* esse,
convenienter etiam ex illis scripturæ locis, in quibus de hac
eadem materia agitur, probare possumus. Quid
enim sibi velit Johannes, quando inquit, ὁ λόγος σαρκὶ
ἐγένετο, & *quomodo* etiam *vox ἐγένετο* convertenda, apparet
ex loco Pauli Galat. 4. vers. 4. quando scribit, Filium Dei
γενόμενον ἐκ γυναικὸς factum seu natum ex muliere & Rom. 1.
vers. 5. Filium Dei *γενόμενον ἐκ σπέρματος* Δαβὶδ, *fa-*
ctum ex semine Davidis. Ex quibus ita concludo: Qui-
cumque *ita σαρκὶ ἐγένετο*, ut sit *factus seu natus* ex muliere,
C EX

ex semine Davidis, is rectè dicitur, non fuisse caro, id est, hū-
milis & abjectus, sed factus caro, id est, homo. Atqui ο λό-
γος, ita οὐδέ ἐγένετο. E.

36. Sed hinc clamare incipit Smaleius, dogma Incar-
nationis aeterni Dei filij esse absurdissimum & ad evertendum
salutis fundamentum, quod est Jesus Christus, aptissimum
& accommodatissimum: ideoq̄, si maxime disertè in scriptu-
ra scriptum esset, Deum esse hominem factum, satius esse,
aliquam figuram, ad istum loquendi modum intelligendum
adhibere potius, quàm permittere, ut propriè id ita accipiatur.
Hæc adversarius in Refutat. Thes. Graueri pag. 4. & Exam.
cent. error, quos Smigl. collegit pag. 22. Respondeo: Si
ita comparatum esset Incarnationis dogma, ut hinc fingit
adversarius, nemo sanus ipsi contradiceret, quandoqui-
dem omnis scriptura interpretatio fidei analogæ esse debet,
Roman. 12. vers. 6. at de mysterijs fidei non est judican-
dum ex ratione, sive nostro captu. Animalis enim homo
non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia ei sunt, nec
potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur, 1. Cor. 2.
vers. 14. Hinc Paulus inquit, se prædicare Christum cruci-
fixum, Judæis offendiculum, Græcis stultitiam, 1. Co-
rinth. 1. vers. 23. Scripturæ igitur credendum, & myste-
ria fidei nostræ non neganda, licet nostrum superent ca-
ptum.

37. Verùm audiamus rationes Smalcij. Nam
(inquit in Refut. Thes. Graueri de incarnat. filij Dei p. 4.)
Si aeternus DEi filius incarnatus est, sequitur eum antea ex-
stitisse & personam fuisse, quàm incarnaretur. persona enim
tantum incarnari potest. Si antea extitit & persona fuit Filius
DEi, quid quaeso, opera Spiritus Sancti in utero virginis concep-
tum

tum fuit & natus? Certè non persona, jam enim essent duæ persona, & duo DEi filij. Si persona non est nata ex virgine Maria, quomodo homo dici meretur id, quod ex ea natus est? Cum homo nemo appellari possit, qui persona humana non sit. Homo enim personam suam & nullam aliam homo est. Si homo ex virgine Maria natus non est, quomodo scriptura falsi non accusatur? Quomodo tacite non negatur Jesum Christum esse fundamentum salutis nostræ. Homo enim Jesus Christus discretissime mediator DEi & hominum appellatur. 1. Tim. 2. v. 5. & per hominem resurrectio esse dicitur 1. Cor. 15. v. 1. Ita adversarius.

38. Respondeo, Filium Dei antea extitisse & personam fuisse perfectam, *primquam* incarnareretur, non tantum concedimus, sed & maximè urgemus, ac supra à nobis fuit ostensum. Veram hanc ipsam personam, jam antea perfectissimam, dicimus ex Maria virgine opera Spiritus Sancti, veram & perfectam naturam humanam, tum quoad substantiam, tum quoad accidentia ejus, excepto peccato Hebr. 4. vers. 15. & accidentibus illis, quæ cum peccato connexa; propria verò personalitate destitutam, in unitatem suæ *ὑποστάσεως* assumpsisse, atq; in & secundum hanc assumptam naturam humanam fuisse conceptam & natam, quemadmodum Paulus Roman. 1. vers. 5. ait: Filium Dei factum esse ex semine Davidis *ἐκ σπέρματος* & Petrus 1. Epist. 4. vers. 1. Christum *ἐκ σαρκὸς γεννητὸν* esse. Persona itaque omninò in utero Mariæ virginis fuit nata & concepta; at illa non fuit persona alia & diversa à persona divina æterni Dei Filij. Etenim non personam, sed naturam humanam propriam personalitate destitutam, Filius Dei in unitatem suæ personæ assumpsit; in qua dicitur conceptus & natus.

39. Neque tamen hinc, quòd personam divinam in utero Mariæ virginis, *in & secundum* humanam naturam, quam ex illa assumpsit, natam & conceptam fuisse dicimus, sequitur personam divinam ex Maria initium habuisse, sed quòd *Deus & homo* in Christo *una* persona sit. Hinc propter *unitatem* scilicet personæ, Maria salutatur *mater Domini* Luc. 1. v. 43. & quod ex ea natum, vocatur *filius altissimi*, & *filius Dei*, vers. 32. 35. & *Filius hominis*, dicitur *Filius Dei viventis*, Matth. 16. vers. 15. 16. Non igitur *duo* filij, sed *unus* filius, quia *una* persona, *Deus & homo*, & *unus* mediator est Dei & hominum, homo Jesus Christus 1. Timoth. 2. vers. 5. *unus* Dominus Jesus Christus, per quem omnia. 1. Cor. 8. v. 6.

40. Sed objicit adversarius: *Si persona humana non est nata ex Maria virgine, utiq; nec Christus homo dici meretur, cum homo nemo appellari possit, qui non sit persona humana.* Respondeo: *extra unionem* quidem homo qui est, *propriam* quoq; habet personalitatem, quâ subsistit: atque hac ratione homo nemo est & dicitur, qui non sit persona humana. Quia vero humana Christi natura à *persona* divina *assumpta* eique *unita* est, ideoque *propriam* personalitatem non habet, nec unquam habuit: eodem enim momento, quo esse cœpit, in persona filij Dei, à qua assumpta fuit, cœpit etiam existere. Numné verò dices, Christum hominem propterea non esse, nec appellari posse, quòd non *propriam*, sed *alienam* habeat personalitatem eaque subsistat? *minimè*: verus & perfectus homo omninò est, siquidem ei *nihil* deest, quod ad *veritatem & perfectionem* humanæ naturæ attinet. *diversa* quidem personalitas est in Christo, ac alijs hominibus, *una* tamen *eademq;* *prorsus* humanæ naturæ *ratio* est,

41. At

41. At homo personâ suâ, & nullâ aliâ re homo est, ait Smalcus. Nego hoc. Homo *humanitate* suâ homo est, *non personâ*, persona enim sive potius personalitas (sermo namq; hic est de persona, prout in *abstracto* non in *concreto* consideratur, quod notari velim. in omni enim persona *duo* se offerunt, *natura* videlicet *singularis* & *personalitas*) ad constituendam hominis naturam, neque ut *materia*, neque ut *forma* se habet, sed tantum *terminus* & *natura* *modus* est. Et quamvis personalitas, ut *naturæ* *modus* & *terminus*, naturaliter naturam consequatur; attamen non sicut propria passio naturaliter consequitur subjectum jam constitutum: quoniam non *ex ratione* personalitas naturæ adest, quemadmodum datâ formâ, dantur consequentia ad formam; sed sicut terminus actionis & rei factæ, naturaliter adest in fine actionis & rei factæ, nisi adsit impedimentum, vel ut perfectio seu complementum effectus naturaliter sequitur effectum, cuius est complementum. Natura enim humana, ut prior causalitate, incompleta est, quo ad ultimum terminum & existentiam modum; ut verò personalitate suâ *terminatur*, ultimum *complementum* & *subsistentia* *modum* assequitur & obtinet. Personalitas igitur in *tantum* ad naturam hominis pertinet, in *quantum* pertinet ad eam, ut per personalitatem *terminetur*, *modificetur* & *ultimum complementum* assequatur, atque subsistat. unde etiam homo personalitate sua *per se* homo nec est, nec dicitur, nisi *quatenus* huic naturæ humanæ superaddita, constituitur eâ persona humana, quæ dicitur homo.

42. Applicemus jam hoc ad humanam Christi naturam, quam quia *propriam* personalitatem non habere, nec habuisse unquam asserimus, quomodo ergo illa *terminata*

C 3

minata

minata, personata, & ultimum suum complementum affecta sit, quæritur, cum non nisi per personalitatem suam terminari, personari & ultimum suum complementum assequi poterit? Respondeo, per personam divinam, quæ personam humanam abundè supplevit: illa enim naturæ Christi humanæ per unionem fuit communicata, atque sic per illam personata ac terminata, ut ulterius terminari non possit, inque ea propriam suam subsistentiam habet.

43. Instat Smalcus lib. de vero & natur. Dei filio contra Smigl. p. 7. hac ratione Christum esse hominem imperfectiorem, quàm omnes alij homines sunt aut fuerunt. Singulos enim homines per se subsistere: solum hominem Christum subsistere in alio. Semper autem id, quod per se subsistit, præstantius esse eo, quod subsistit in alio. Respondeo: Imperfectior esse non potest, cum ei nihil quicquam decedat, quod vel ad perfectionem naturæ humanæ, vel ad subsistentiã ejus attinet; sed tantum accedat potius, quantò persona divina & infinita potior humanã & finitã est: ex peculiari, inquam, hac subsistentiã, quã humana Christi natura in persona divina habet; si vel maximè generatim loquedo, omne quod per se subsistit, perfectius & præstantius sit eo, quod subsistit in alio. Hinc concludo: Quicumq; perfectiorem & præstantiorem habet subsistentiam, quam omnes alij homines, is non imperfectior; sed potius perfectior & præstantior homo est, quàm omnes alij homines sunt aut fuerunt, ratione nimirum subsistentiæ. Atqui homo Christus perfectiorem & præstantiorem habet subsistentiam, quam omnes alij homines; subsistit enim in personã divinã. E. homo Christus quoq; imperfectior homo non est, quàm omnes alij homines sunt aut fuerunt, sed potius perfectior & præstantior, ratione nimirum subsistentiæ.

44. Quid

44. Quid nunc Smalci? an adhuc dices, ex *Incarnati*
nationis mysterio sequi, Christum non esse perfectum
hominem, & sic illud ad evertendum salutis fundamentum
esse aptissimum? sed hæc sufficient. Atque sic obtinimus,
æternum Dei filium esse, eumq; in temporis plenitudine pro-
pter nos homines & propter nostram salutem incarnatum,
sive hominem factum, cui propterea sit laus, honor & gloria
in secula seculorum, Amen.



PRÆSTANTISSIMO

Dn. JOHANNI IVARO,

Amico meo.

IVAREM probam geris, pro gloria
Christi DEi loqueris, & ejus arduam
causam tuens, magnam mereris gloriam;
Rectam tenes quâ præstat ire semitam,
libas thymum verbi DEi fragrans, juvat
Mysterio hoc pavisse cordis lumina.

amoris ergò scripsi

JONAS RICHTERUS Rostog
chiensis, S. S. Theologiæ
Studiosus.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.









ratio

ATIONE

DEI FILII,

IANIS

L,

.

θρώπω,

ia Rostochiensis,

SIDIO

LEGDÆI,

Prof. publ.

dam suscipiet

IVARUS

rsus,

anuarij,

agno, horis

s.



CH I

us Pedanus, Acad. Typ,

. XXV.

